

tibus antea citatis, iudice sedente pro tribunali, etc. et de his impræsentiarum sermo est. Alia vero concernunt ipsam ordinatam causæ cognitionem: puta, quod sententia sit conformis juri, atque libello; sit certa, et non lata sub conditione, ac hujusmodi: atque de istis commodius agetur paragrapho sequenti. Quo prænotato.

58. *Ad eam requiritur cum primis citatio partium. Sed legitime citans, et contumaciter absens, habetur pro præsentis.* — Resp. I. Facta a partibus conclusione in causa, ut supra, iudex allegata et probata omnia diligenter examinabit, iisque mature discussis sese accinget ad causæ principalis decisionem, prolaturus super ea sententiam diffinitivam: in quem proinde finem requiritur imprimis, ut iudex sententiam laturus citari faciat pro certa die utramque partem litigantium ad audiendam sententiam; idque vel trina citatione, vel saltem una peremptoria. Textus est in l. *Ea quæ. c. Quo modo et quando iudex sententiam proferre.* etc. ubi sententia lata contra absentem non solemniter citatum, dicitur nulla: et l. *Consentaneum. c. eod. et l. De unoquoque. ff. de Re iudicata,* cum similibus. Quod si vero legitime citatus, contumax fuerit, ac cessante justo impedimento noluerit comparere, id non obstat, l. *Contumacia. ff. de re iudicat. et c. Cum Bertoldus. 18. h. t.* Nam legitime citati, et contumaciter absentes, habentur pro præsentibus, l. *Properandum. § Sin autem reus. juncta Glossa §. Dei præsentia. c. de Judiciis:* atque eorum contumacia liti damno coercetur cit. l. *Contumacia.*

59. *Ad sententiam diffinitivam requiritur, ut sit redacta in scripturam, atque a iudice ex scriptis proferatur, et cur?* — Requiritur secundo, quod sententia diffinitiva redacta sit in scriptura; et postquam scripta fuerit, a iudice, et non ab alio, de scripti recitatione proferatur: adeo, ut alias nec nomen sententiæ mereatur habere, nec ab ea sit appellare necesse. Ita textus expressus in cap. ult., h. t. in 6. et l. II. c. *de Sententiis ex breviculo recitandis.* Ubi et hujus ratio indicatur, atque notat Abbas c. *Sicut nobis. n. 24. h. t.* nempe, ut sententia cum majori moderamine proferatur; seu, ne forsitan alioquin iudices proferant subitas sententias, aut etiam in earum prolatione errent, vel alius ipsas recitando nonnihil immutet: unde debent iudices, habita matura deliberatione, sententias ponderatas sibi antea formare, et

emendatas in libellum conferre, scriptasque ex libello partibus legere: invocato tamen prius Christi nomine; ut c. *Veritatis. 8. § fin. et Abbas, ibid. n. 11. de Dolo et contumacia. et c. In nomine Domini. 2. de Testib. ac solum Deum, seu causæ justitiæ æquitatemque præ oculis habendo.*

60. *Episcopi, et personæ illustres, possunt sententiam per alium recitare.* — Excipiuntur tamen hinc episcopi, atque personæ illustres: nam his ob dignitatis prærogativam licitum est, sententiam a se ferendam per alium recitare, seu partibus publicare. Textus est expressus in cit. cap. ult. h. t. in 6. et l. II. c. *de Sententiis ex breviculo recitand.*

61. *Sententia diffinitiva debet proferri a iudice sedente.* — Requiritur tertio, quod sententia proferatur a iudice sedente, et non stante, vel ambulante, d. cap. ult. h. t. in 6. Ubi additur, quod si sententia diffinitiva a iudice litigatoribus non legatur, vel stando, non sedendo proferatur, nullius penitus sit momenti. Concordant dicta superius § præced. n. 29. et 30.

62. *Et quidem sedente pro tribunali, sive in loco consueto.* — Requiritur quarto, ut sententia proferatur a iudice, non quomodocunque sed sedente pro tribunali; sive in loco publico, ubi antecessores sui jus reddere consueverunt, l. *Cum sententiam. C. de Sentent. et interlocut. omn. jud. et l. penult. ff. de Jstit. et jur.*

63. *Episcopus potest in quolibet loco non exempto suæ diocesis sedere pro tribunali. Quid in delegato, aut si locus consuetus non est totus.* — Verumtamen episcopus in quolibet loco suæ diocesis non exempto, per se, vel per alium potest pro tribunali sedere, c. *Cum episcopus. 7. de Offic. ordinar. in 6.* Sicut et iudex delegatus ad aliquam causam particularem, cum certam sedem deputatam non habeat, potest locum juris dicendi causa, honestum tamen, sibi eligere, l. *Si cum dies. § Si arbiter. ff. de Receptis arbitris.* Potest etiam iudex ferre sententiam in loco non consueto, si locus consuetus non sit tutus; aut si episcopus vi expulsus sit extra suam diocesis. Vallensis, h. t. § 3. n. 4.

64. *Sententia est ferenda de die, et quidem non feriato. Et quid, si feratur de nocte.* — Requiritur quinto, ut sententia feratur de die, et non de nocte, c. *Consuluit. 24. de Offic. Delegat.* quamvis Glossa ibid. §. *Tenebras.* et Joan. Andreas, n. 32. et Abbas, n. 14. ibid. arbitrentur, valere sententiam de

nocte prolatam, quando iudex adhibuit lumen nec partes contradicunt: secus, si alterutra pars peteret licentiam recedendi, eo quod sit tempus quiescendi; nam si denegaretur petita licentia, posset licite appellare, nec valeret, si quid postmodum attentaretur. Insuper requiritur, ut sententia feratur die non Feriatio, cap. ult. *de Feriis.* cum similibus.

65. *Solemnitates hujusmodi adeo requiruntur, ut ipsis non observatis sententia diffinitiva regulariter ipso jure sit nulla.* — Resp. II. Hujusmodi solemnitates adeo requiruntur, ut ipsis non observatis sententia diffinitiva, lata in iudicio ordinario, regulariter loquendo reddatur ipso jure nulla. Ita clare habetur cap. ult. h. t. in 6. et aliis juribus hactenus citatis, ubi expresse dicitur, sententiam aliter latam « nullius penitus esse momenti; » vel, « judicatæ rei firmitatem non obtinere, » etc.

66. *Secus dicendum de sententia interlocutoria.* — Additur primo in hac conclusione, « sententia diffinitiva. » De hac enim procedunt hactenus dicta: siquidem sententia interlocutoria non necessario requirit omnes enumeratas solemnitates: ut puta, non necessario recitatur ex scripto, sed potest etiam proferri verbis; juxta Glossam in cit. cap. ult. h. t. in 6. §. *Diffinitiva.* junctis dictis supra 29. et seqq. ubi plures aliæ differentiæ inter sententiam interlocutoriam, et diffinitivam referantur.

67. *Et de sententia lata in iudicio summano.* — Additur secundo, « lata in iudicio ordinario. » Nam in iudicio summano, seu causis illis, in quibus simpliciter ac de plano, et sine trepitu iudicii proceditur non requiri omnes prædictas solemnitates ad sententiam judicialem, ejusque validitatem; habetur expresse decisum in Clem. *Sæpe contingit. de Verb. signif.* Estque hoc jam dictum supra tit. *de Judiciis. § 2. n. 41. 43.* et seqq. ubi simul declaratur, quænam sint causæ illæ, in quibus summariter, et de plano, seu sine strepitu iudicii procedi potest.

68. *Atque in aliis certis casibus, in quibus fallit data regula; et quales sint illi?* — Additur tertio, « regulariter loquendo. » Nam hoc ipsum fallit in certis casibus; quorum plures enumerat Glossa cit. cap. ult. §. *Illustrium.* h. t. in 6. Ut, quando causæ sunt leves, ac modici momenti, v. g. duorum aureorum: item, quando lites sunt breves, et maxime vilium personarum: quia tunc non est opus sententiam ferri ex scriptis, Auth.

Nisi breves. C. de Sententiis ex breviculo recitandis. Idemque dicendum de papa, vel alio principe supremo, qui per se pronuntiat: nam is est legibus solutus, ac præsentia ejus supplet omnem solemnitatem. Item, si episcopus de causa civili iudicat inter clericos, can. *Si qui cum Clerico. 11. q. 1. et cit. Auth. Nisi breves. C. de Sentent. ex breviculo recit.* aut, quando factum est notorium; adeo, ut liquido constet, nullam reo competere defensionem: valet enim sententia tunc lata contra absentem, etiam non citatum; ut c. *Cum olim. 12. § fin. h. t.* Rursus ex consensu partium potest iudex ordinarius sententiam ferre in alio, quam ordinario loco iudicii; modo non egreditur fines territorii sui. Vallensis, h. t., § 3, n. 4; Pirhing, eod. n. 2. et alii.

69. *Consuetudo locorum, seu stylus singulorum tribunalium, in proposito attendi debet.* — Tacetur specialis consuetudo locorum, ut pote per quam nonnullæ solemnitates juris remitti valent, per textum in cap. ult. *de Consuetud.* Unde notat Engel, h. t. in 6. quod licet omissio cujuscunque solemnitatis substantialis, ipso jure sententiam reddat nullam; ut cap. ult., h. t. in 6. nihilominus hodie magis ad stylum singulorum tribunalium, atque rationabiles consuetudines locorum sit attendendum.

§ III.

DE REQUISITIS SENTENTIÆ DIFFINITIVÆ ORDINATAM CAUSÆ DECISIONEM RESPICIENTIBUS.

70. *Sententia judicialis debet esse juri conformis: alioquin ipso jure foret nulla.* — Quæritur I. Utrum sententia debeat esse juri conformis, et quomodo? Resp. I. Certum est, quod sententia judicialis debeat esse juri conformis; id est, non lata contra jus clarum, et indubitatum: alioquin enim ipso jure foret nulla, licet ab ea non fuisset appellatum. Ita communis, juxta textum expressum in cap. i. h. t. ibi: « Sententia contra leges, canonesque prolata, licet non sit appellatione suspensa, non potest tamen subsistere ipso jure. » Concordat textus l. *Si cum inter te. c. Quando provocare non est necesse, et l. Si expressim. ff. de Appellation.* cum similibus: ubi sententia, quæ continet expressum juris errorem, censetur nulla; adeo, ut appellatio ab ea non sit necessaria. Nam, « quæ contra jus fiunt, debent utique pro inelectis

haberi : » prout loquitur reg. 64. jur. in 6. cum concordantis.

71. *Idque exemplificatur.* — Unde si iudex pronuntiet, minorem quatuordecim annis, posse testamentum facere : hæc sententia, utpote expressum juris errorem continens, nullas omnino vires habet : adeo, ut nunquam transeat in rem iudicatam, quamvis ab ea non fuerit appellatum, text. clar. l. *Si cum inter te. c. Quando provocare non est necesse.* Idem dicendum, quando iudex pronuntiare, electionem a suspensis celebratam esse validam, eo quod suspensi possint eligere : nam etiam talis sententia continet clarum juris errorem, c. *Cum dilectus. 8. de Consuetud. et c. Cum inter. R. 16 de Election. et alibi;* sicque ipso jure est invalida.

72. *Sententia, in qua clarus error juris continetur, est ipso jure nulla licet error ille in sententia non sit expressus. Sententia dicitur nulla novem modis, et quibus?* — Addit Abbas, cap. i. n. 5. et 6. h. t. quod non solum sententia, in qua clarus error juris habetur expressus, ipso jure sit nulla : sed istud etiam procedat de quacunque sententia contra leges, canonesve prolata, licet error in sententia non fuerit expressus, ut puta, si intervenit defectus jurisdictionis, eo quod fuerit lata a non competente iudice, c. *At si Clerici. 4. de Judiciis :* vel a iudice publice excommunicato, c. *Ad probandum. 24. h. t.* Vel si defectus intervenit contra clarum jus ex parte litigatorum, v. g. quia contra minorem, sine auctoritate curatoris sui in iudicio existentem, pronuntiatum est, l. I et II. C. *Qui legitimam personam, etc.* Aut si die feriato lata fuit sententia, cap. ult. *de Feriis;* cum aliis similibus casibus, quorum plures enumerantur can. *Et qui appellat. § Diffinitiva. 2. q. 5.* Siquidem, ut notat Joan. Andreas, cap. i. n. 7. h. t. sententia dicitur nulla novem modis; scilicet ratione iudicis, litigantis, loci, quantitatis, temporis, processus, modi, manifestatæ iniquitatis, et conditionis : de quibus partim jam dictum est tit. 25. *De Exceptionibus. n. 56. et 57. ac seqq.* enumerando plures tales casus in specie; partim in propriis locis commodius agi solet.

73. *Valet sententia, quæ præter errorem juris continet aliam rationem, qua justificari potest.* — Limitatur tamen hæc conclusio, quando sententia continet quidem expressum errorem contra jus, sed præter eum simul habet annexam aliam rationem, quæ non est contra jus commune, quin potius ipsa ob

hanc justificari potest. Tunc enim sententia tenet ratione alterius causæ, quæ non est contra jus, et ob quam potest sustineri. Abbas, cap. i. n. 5. et Barbosa, ibid. n. 2. h. t. cum plurimis aliis, quos citant. Accedit ratio, tum quia in dubio (quale tunc intervenit ob concurrentem aliud fundamentum) propter auctoritatem iudicariam præsumi debet, omnia legitime processisse, c. *Sicut nobis. 16. § fin. h. t. et consequenter sententiam esse validam; tum quia « utile non debet per inutile vitari, » juxta reg. 37. jur. in 6.*

74. *Sententia contra jus obscurum, sive dubium, non est ipso jure invalida.* — Resp. II. Etsi sententia lata contra jus clarum ipso jure sit invalida, et nullius roboris, ut dictum : secus tamen est dicendum de sententia lata contra jus obscurum, sive dubium; hoc est, de cujus vero intellectu variæ sunt doctorum sententiæ : nam sententia contra istud lata valet, ac transit in rem iudicatam, nisi intra decem dies ab ea fuerit appellatum. Ita Abbas cit. cap. i. n. 9. h. t. istud exemplificans in lege habente plures intellectus, et probans ex l. *Cum prolatis. ff. de Re iudicat. et c. Cum dilectus. 13. de Consuetud. atque allegans communem; et concordant in simili dicta superius tit. XXVI. de Prescriptionibus, § 3. n. 68. et 77.*

75. *Regula illa, quod sententia debeat esse juri conformis, etc., intelligitur de jure constitutionis, non de jure litigatoris.* — Resp. III. Insuper regula illa, quod sententia debeat esse juri conformis, ut sit valida, intelligenda est de jure constitutionis, non de jure litigatoris. Ita Glossa in cap. i. §. *Contra leges,* et Abbas, ibid. n. 7. h. t.; Pirhing, eod. n. 4; Engel, n. 15. et alii. Atque hæc conclusio clare desumitur ex l. I. §. *Item contra. ff. Quæ sententiæ sine appellation. rescind.* ubi dicitur : « Cum contra sacras constitutiones iudicatur appellationis necessitas remittitur. Contra constitutiones autem iudicatur, cum de jure constitutionis, non de jure litigatoris pronuntiat. » Hæc ibi.

76. *Sententia lata contra jus constitutionis; et sententia lata contra jus litigatoris, quæ? Illa est ipso jure invalida, non hæc; et cur?* — Unde notandum, quod « Sententia lata contra jus constitutionis, » dicatur ea, quæ est lata contra leges civiles, vel sacros canones: sive, ut l. *Si expressum ff. de Appellation. dicitur, « Si specialiter contra leges, vel senatus consulta, vel constitutiones fuerit prolata. »* Et talis alio nomine appellatur

« Sententia lata contra jus scriptum; » prout loquitur Abbas c. *Illud. n. 10. de Cleric. excommunicat.* estque ipso jure invalida; tum quia iudex habet necessitatem iudicandi secundum leges, non autem facultatem de istis arbitrando, can. *In istis. dist. 4.* Simulque ea. « quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi, » juxta reg. 64. jur. in 6. et l. *Non dubium. c. de Legib.* cum concordantiis; tum quia talis sententia nequit justificari ex consensu partium, eo quod consensu, seu « pacto privatorum juri publico minime derogetur, » per textum expressum in c. *Si diligenti. 12. de Foro competent.* cum similibus. At vero « sententia lata contra jus litigatoris » (hoc est alterius partis litigantis) censetur tunc intervenire, quando iudex male per sententiam negat parti jus aliquod, seu istud ei abjudicat, quod revera ipsi competit : et talis sententia, licet sit injusta habito respectu ad merita causæ, nihilominus est valida; transitque in rem iudicatam, nisi per legitimam appellationem suspendatur. Siquidem circa casus particulares, cum sint infiniti, hæc et iudex vi sui officii facultatem arbitrando, atque dijudicandi, cujus partis jura sunt potiora : unde propter hanc auctoritatem iudicariam præsumuntur omnia legitime facta, sicutque præsumuntur esse justum, quod iudex judicaverit, et quidem præsumptione juris et de jure, c. *Sicut nobis. 16. h. t. et l. Res iudicata. ff. de Reg. jur.* ibi : « Res iudicata pro veritate accipitur : » nisi interponatur legitima appellatio contrariumque probetur. Quinimo pars condemnata, nec appellans, censetur ipso facto sententiam acceptare, in eamque consentire; sicutque cedere jure suo, si quod habuisset.

77. *Regula est, quod sententia debeat esse conformis libello.* — Quæritur II. An, et qualiter sententia debeat esse conformis libello? Resp. I. Regula est, quod sententia debeat esse conformis libello; id est, scripturæ actoris petitionem, ejusque causam continentem. Textus est in l. *Ut fundus uncto summario. Ibid. ff. Communi dividuo. et c. Qualiter et quando. 24. circa fin. de Accusation. et Clem. Sæpe contingit. de Ver. signif.* ibi : « Verum quia juxta petitionis formam pronuntiatio sequi debet : » junctis concordantiis a Glossa ibid. §. *Formam, allegatis.*

78. *Stultus appellatur iudex, qui ultra petita in libello iudicat.* — Hinc in l. ult. c. *de Fideicommissar. libertat.* iudex ille appellatur « Stultus, » qui cum in libello certa

res petatur, eaque præstari possit, ream non in præstationem illius rei, sed in ejus æstimationem condemnat. Similiter, ubi agitur iudicio possessorio, non debet iudex ferre sententiam super petitorio, sed solum super possessorio, et e contra. Speculator tit. *de Sententia. § Qualiter. n. 15.* Sicut etiam, quando petitorio et possessorio simul actum est, super utroque sententia simul proferenda est. c. *Cum dilectus. 6. de Causa possess. et propriet.* et sic discurrendo de aliis.

79. *Sententia debet esse conformis libello in tribus; et quibus?* — Resp. II. Sententia debet esse libello conformis in tribus. I. In re; ita videlicet, ut iudex non pronuntiet super alia re, quam quæ in libello petita fuit, uti proxime dictum. II. In causa petendi; nempe, ut iudex attendat ad eam causam, quæ in libello expressa fuit, et non ad aliam, arg. c. *Abbate sane de Sentent. et re iudicat. in 6. III.* In actione; nempe, ut secundum eam actionem condemnet, vel absolvat, quam actor instituit. Pirhing, h. t. n. 31. post Hiltropium in *Process. iudiciar. part. IV. tit. I. n. 5.* Quanquam de jure canonico non sit necessarium, exprimere in libello nomen actionis, c. *Dilecti. 6. de Judiciis;* estque jam dictum supra tit. III. *de Libelli oblatione § 1. n. 18. et seqq.* ubi per totum plura de libello.

80. *Regula ista patitur plures fallentias.* — Resp. III. Patitur nihilominus data regula plures limitationes; uti videre est apud Jasonem l. *Vinum. n. 23. 24. et seqq. ff. Si certum petatur.* et Socinum in *Fallentiis, reg. 355.* qui universim tredecim fallentias allegant; quarum aliquas etiam adducit Maranta, part. VI. *Speculi aurei, tit. de Sententia. n. 61. et seqq.* earumque præcipue sunt sequentes.

81. *Fallit enim in Papa, imperatore, aliisque supremis principibus. Hi non attendunt ordinem iudiciorum, sed meram veritatem.* — Primo dicta regula fallit in papa, imperatore, aliisque principibus superiorem non recognoscensibus : hi enim possunt ferre sententiam in alio, quam sit petendum, cum non teneantur ad observandum ordinem iudicarium; ut c. *Ad petitionem. 22. de Accusation.* ubi Papa quempiam privavit, Abbatia ex iis, quæ contra eum probata fuerunt, haud obstante, quod ordo iudicarius non fuisset observatus. Joan. Andreas, c. *Mandatum. n. 43. de Rescript.*; Barbosa, tract. *de Clausulis usu fre-*

sententiam, in qua Judex exprimit causam non concludentem: quia etiam talis sententia est nulla, adeoque non transit in rem judicatam, licet ex alia causa non expressa posset justificari. Abbas, c. *Sicut nobis*. n. 14. et 15. h. t. et c. *Ex parte Astensis*. n. 19. de *Concession. prebend.* citans Bartolum in l. *Si is ad quem*. ff. de *Acquirend. heredit.* et doctores communiter: quamvis addat, secus esse dicendum de sententia lata ex pluribus causis in ea expressis, quarum una est justa, altera injusta; nam hæc est valida propter illam causam justam simul expressam, estque jam dictam supra § præced. n. 73.

131. *Item de sententia lata ex falsis instrumentis, vel testimoniis testium corruptorum dum probatur, judicem in sententia ferenda eisdem usum esse.* — Similiter sententia lata ex falsis instrumentis, vel testimoniis testium corruptorum, non transit in rem judicatam; sed cognita veritate retractatur, dum probatur judicem in ferenda sententia eisdem usum fuisse. Textus est in l. l. et l. *Falsam*. c. *Si ex falsis instrumentis, vel testimoniis, etc.*, et c. *Sicut nobis*. 9. *Testib.* ubi sententia lata ex falsis instrumentis, vel testimoniis, dicitur retractanda, quando probatur eorum falsitas, et quod Judex ex his motus fuerit sententiam dandam. Quanquam ad hoc non sufficiat extrajudicialis confessio testis, aut judicis propriam turpitudinem allegantis, et dicentis extra judicium, se falsum deposuisse in judicio; aut se venalem sententiam tulisse, vel secretum ab aliis male pronuntiasse. Maranta, part. VI. *Speculi aurei*. tit. de *Confessione*. n. 11. post Angelum consil. 308. vers. *Descendo ad tertium*; et concordant dicta superius tit. XX. de *Te tibus*. § 10. n. 335. et seqq.

132. *Istud ampliatur ad sententiam latam prætextu juramenti necessarii, falsi tamen postea reperti.* — Atque istud ampliatur ad sententiam latam prætextu juramenti necessarii, falsi tamen postea reperti: quia potest semper retractari, juxta textum in l. *Admonendi*. ff. de *Jurejurand.* ubi Jason, in *Repetit.* n. 35; Maranta cit. part. VI. tit. de *Sententia*. n. 146. asserens, secus in juramento voluntario. De hoc videantur dicta superius tit. de *Jurejurando*. § 5. n. 146. et seqq. et n. 151. et 156. et 157.

133. *Sententia lata ex probationibus privilegiatis, aut præsumptivis non transit in rem judicatam; sed supervenientibus veris probationibus, etc., potest retractari.* — Octavo, sententia lata ex probationibus privilegiatis, aut

præsumptivis, non transit in rem judicatam; sed potest semper retractari supervenientibus veris probationibus evidentioribus, aut cognita rei veritate, dictæque sententiæ falsitate. Maranta cit. part. VI. tit. de *Sententia*. n. 133, allegans textum in l. *Si qui adulterii*. c. *Ad leg. Jul. de Adulteriis*; Jason, in *Repetit.* l. *Admonendi*. n. 38 ff. de *Jurejurand.* hanc appellans Regulam notabilem. Felinus, c. *Proposuiti*. n. 10. et 11. de *Probat.* pluresque alii ab his citati. Unde

134. *Hoc ipsum procedit in omnibus sententiis, quæ sunt late ex consilio doctorum, aut judicio peritorum in arte sua. Nisi hi fuissent assumpti de voluntate utriusque partis.* — Nono, omnes sententiæ, quæ sunt late ex consilio doctorum, aut judicio peritorum in arte sua, non transeunt in rem judicatam: quinimo semper possunt retractari, quodcumque apparet de falsitate sui dicti, sive per rei evidentiam (ut est certum) sive propter consilium magis peritorum. Felinus cit. c. *Proposuiti*. n. 10. de *Probat.* Sigism. Scaccia, lib. I. de *Judiciis*. cap. xcviij. n. 134; Maranta, d. tit. de *Sententia*. n. 130. et seqq. istud limitans, nisi illi periti in arte, seu experti, fuissent assumpti de voluntate utriusque partis: quia tunc (inquit) ipsorum sententia non potest ulterius retractari. Idem, ac sub eadem limitatione, tradit Jason cit. *Repetit.* l. *Admonendi*. n. 40. et 41. ff. de *Jurejurand.* citans plures alios: apud quos videri poterunt nonnulli casus, in quibus sententia non transit in rem judicatam, quo minus cognita rei veritate retractari possit, licet præmissi sint principiores. Verum pro meliori dictorum intelligentia.

135. *Qualiter sententia, quæ non transit in rem judicatam, sit revocanda? Ea post lapsum decem dierum non potest revocari per viam appellationis, sed solum per viam querelæ.* — Queritur III. Qualiter sententia, quæ non transit in rem judicatam, sit revocanda? Resp. I. Post lapsum decem dierum non potest amplius hujusmodi sententia revocari per viam appellationis, adeundo videlicet superiorem judicem, atque ad ipsum appellando; sed solum per viam querelæ, puta, adeundo eundem judicem, qui hujusmodi sententiam tulit, atque ipsum debite informando de injustitia sententiæ non transeuntis in rem judicatam: quo facto Judex ille dictam sententiam retractare potest. Illa Glossa c. *Ad reprimendam*. §. *Suspendatur*. et Abbas, ibid. n. 6. et 12. de *Offic. judic. ordi-*

lites non sopirentur. Hinc § *Curare*. Instit. de *Actionib.* dicitur: « Curare autem debet Judex, ut omnino, quantum possibile ei sit, certæ pecuniæ vel rei sententiam ferat, etiamsi de incerta quantitate apud eum actum est; » juncta Glossa ibid. verb. *Possibile*.

88. *Adeo, ut sententia incerta, sit ipso jure nulla.* — Et adeo requiritur, sententiam esse certam, ut sententia incerta, seu obscura, ratione suæ incertitudinis ipso jure non valeat, l. III. et IV. c. de *Sententia, quæ sine certa quantitat.* etc. ac notat Abbas c. *Cum venerabilis*. n. 48. de *Exceptionib.*; Speculator tit. de *Sententia*. § *Qualiter*. n. 7; Alexander consil. 109. n. 1. et seqq. lib. V. Sigism. Scaccia, tract. de *Sentent. et re judicat.* Gloss. 14. quæst. 15. n. 1, allegans plures alios. Ratio est, quia sententia ferenda est, ut possit habere executionem, mediante qua jus suum cuique tribuatur, atque inter litigantes inducatur pax, et concordia inter eives conservetur: atqui sententia incerta nequit habere hujusmodi executionem; ergo.

89. *Etiamsi petitio libelli fuisset de quantitate incerta.* — Inferitur proinde, quando libellus est certus, seu de re certa, sive certa quantitate ipsius conceptus, pariter de re certa, certave quantitate ipsius ferenda sit sententia condemnatoria, vel absolutoria: debet enim sententia esse conformis libello. Quinimo, licet libellus, ejusque petitio foret incertus, ut puta, si esset conceptus de quantitate incerta, v. g. damni dati, aut expensarum, juxta textum d. § *Curare*. Instit. de *Actionib.* si tamen in processu certificaretur, oportet, ut Judex ferat sententiam de certa re, seu quantitate ipsius. Jason cit. § *Curare*. n. 7. et seqq. Instit. de *Actionib.* Sigism. Scaccia, ubi supra, n. 5. et seqq. allegans alios.

90. *Regula hæc procedit potissimum in judiciis particularibus, secus in universalibus.* — Resp. II. Nihilominus data conclusio, seu regula patitur quasdam limitationes. Imprimis enim ea potissimum procedit in judiciis particularibus, seu actionibus singularibus, utpote in quibus agitur ad res aliquas speciales: secus in judiciis, seu actionibus universalibus, ac generalibus, ut est, petitio hæreditatis, familiæ heriscundæ, petitio castri unacum juribus suis, actio negotiorum gestorum, tutelæ, ac hujusmodi, juxta dicta superius tit. I. de *Judiciis*. § 2. n. 53. 54. et seqq. Nam in hujusmodi actionibus univer-

salibus et generalibus, ac sententiis desuper latis, non est opus specificare res ipsas; sed sufficit tum in libello, tum in sententia proponere, ac pronuntiare universaliter, v. g. Pronuntio te hæredem existere ex asse, vel ex semisse, atque ideo tibi hæreditatem restituendam esse. Glossa cit. § *Curare*. verb. *Possibile*. et Jason, ibid. n. 7. Instit. de *Actionib.*; Glossa fin. l. II. et Bartolus, ibid. c. de *Sententia, quæ sine certa quantitate profertur*. Unde in talibus actionibus, et sententiis satis est, quod singulæ res postmodum specificentur in executione.

91. *Fallit etiam in illis casibus, in quibus Judex nequit ferre certam sententiam: puta, in alternativis; vel quando dubium est, an res petita adhuc existat.* — Deinde loquendo etiam de actionibus, et sententiis particularibus, eadem conclusio patitur suas limitationes: dantur enim plures casus, in quibus Judex nequit ferre certam sententiam; uti videre est apud Glossam cit. l. II. et Bartolum, ibid. c. de *Sententia, quæ sine certa quantitat.* et Jasonem, ubi supra. Sic fit, quando proponitur actio singularis alternativa, simulque electio est debitoris, l. *Ubi autem*. § *Qui illud et illud*. ff. de *Verbor. obligation.* Idemque accidit in aliis casibus, ubicunque incertitudo provenit ex parte Rei, seu debitoris, qui debet aliquid in genere, puta equam, non facta declaratione, qualis debeatur ex pluribus, l. *Quæ de tota*. § fin. ff. de *Rei vindicat.* Item, quando dubium est, an res debita adhuc existat in rerum natura; adeoque petatur vel res, si existit, vel ejus æstimatio, l. *Si servum*. § fin. ff. de *Verb. obligat.* Jason, ubi supra, n. 10. et seqq. apud quem plures aliæ limitationes. In hujusmodi enim casibus, sicuti admititur libellus incertus, ita et sententia incerta, libello tamen proportionata.

92. *Sententia judicialis non debet ferri sub conditione.* — Queritur IV. Utrum sententia possit ferri sub conditione, vel sic lata teneat? Resp. I. Ad sententiam judicialem inter alia requiritur, ut non feratur sub conditione. Textus est in l. l. § *Biduum*. ff. *Quando appellandum sit*, quæ est canonizata can. *Biduum*. 2. q. 6. ubi dicitur: « Sane quidem non est dicenda sub conditione sententiæ: sed si fuerit dicta, quid fiet? » Accedit ratio: quia « sententia definitiva, quæ condemnationem, vel absolutionem non continet, pro juxta non habetur, » juxta textum expressum in l. *Præses*. c. de *Sentent. et interlocut. omn.*